


RECENS HABITAE. 21

Iouem, & tria consequentia Sydera, erant æqualia omnia, ac duorum minorum: at occidentalius aberat a sibi propinquo minutis quatuor. Erant lucida valde, & nihil scintillantia, qualia semper tum ante, tum post apparuerunt. Verum hora septima tres solummodo aderant Stellæ, in huius

Ori.  ** * Occ.

modi cum Ioue aspectu. Erant nempe in eadem recta ad vnguem, vicinior Ioui erat admodum exigua, & ab illo remota per minuta prima tria; ab hac secunda distabat min. vno; tertia vero a secunda min. pr. 4. sec. 30. Post vero aliam horam duæ Stellulæ mediæ adhuc viciniores erant; aberant enim min. sc. vix 30. tantum.

Die 16. hora prima noctis tres vidimus Stellæ iuxta hunc ordinem dispositas. Duæ Iouem

Ori. *  * * Occ.

intercipiebant ab eo per min. 0. sec. 40. hinc inde remotæ, tertia vero occidentalis a Ioue distabat min. 8. Ioui proximæ non maiores, sed lucidiores apparebant remotiori.

Die 17. hora ab occasu 0. min. 30. huiusmodi fuit configuratio. Stella vna tantum orientalis a

Ori. *  * Occ.

Ioue distabat min. 3. occidentalis pariter vna a Ioue distans min. 11. Orientalis duplo maior apparebat occidentali; nec plures aderant quam istæ duæ. Verum post horas 4. hora nempe proxime quinta, tertia ex parte orientali emergere cœpit, quæ antea, vt opinor, cum priori iuncta erat; fuit-